

K

2463

54642/B

WEIDMANN, J.P.

2 pts in 1 vol.

(W)

2463.



Walt Kays

K 435

DE OFFICIO
 ARTIS OBSTETRICIAE
 CONCEDENDO SOLIS VIRIS,


SOCIETATI LITERARIAE,
 QUAE MAGONCIACI EST,

EXHIBET
 2463.

J. P. W E I D M A N N

TOLPIACENSIS,

M. D. et Magonciaci Professor.



MAGONCIACI, Praelo THEODORI ZABERN.
 ANNO XII.

Magonciaci 1892

Natura infirmitatis humanæ, tardiora sunt remedia, quam mala.

TACIT. in vit. Agric.

321057



ILLUSTRISSE PRÆSES,
SODALES HONORATISSIMI!

NEMINI sane magis, quam vobis, viri doctissimi! cognitum est, quemadmodum opinionum cōmēta in scientiis, res naturæ, ejusque præprimis causas et modos spectantibus, varia et fluxa sunt; ita, quod usu receptum et mos est, spatio et antiquitate invalescere, adeoque clarissimorum et sapientum virorum contentiones atque impetus diu sæpe eludere.

Quod quidem si ita circa res tenues eveniat, aut non majoris momenti, silentio prætereat. Sinere vero et silere, si res magna agatur, quæ est hominum salus et incolumitas, nefas sane habebitur.

Opinor illud accidere in disciplina medica, illa ejus præprimis parte, qua nulla, si rectus ejus usus fuerit, exoptabilior; aut truculenta magis et exitiosa, si prava eadem vel et invalida; accidere circa eam medicinæ partem, quam artem obstetriciam vocant; cui omnis homo sēmel saltem sæpius sæpe obnoxius est; quæ amabili sexui aut dulci spe et solatio, auxilioque imminet, aut terrore, vel et internecione; quæ uno eodemque impetu vitam et prosperitatem plurimum vel servare vel præcipitare potest;

accidere multis quidem modis: aut quod a sinceris præceptis ars ipsa absit, quod medicorum ordini imputetur; vel et quod iniqua aut inefficaci lege laboret, cuius penes medicos vix ulla culpa esse potest. Ad illa, quod attinet, crederes, nos recentiore saltem tempore honorum votis obsecundavisse; ad hanc, desiderio ingens usquedum spatium reliquum esse.

Quinimo! res obstetricia media et postrema elapsi sæculi parte, collatis multorum et præstantissimorum virorum contentionibus et studiis mirum in modum inclaruit, ejusque scientia et ars cognitionibus et præceptis plurimis et saluberrimis divites nunc, et honoratæ prostant; dolendum tamen quam maxime est, uberes, quantum possent, fructus pro humano genere ex iis non carpi, sicque in publica commoda peccari, hoc potissimum, quod exercitium istius artis inhabilibus muliercularum manibus usquequaque concedatur; peccari eo rationum momentis jam pridem, et quantum assequor, validis persuadeor; accusare tamen palam peccatum istud jam a multis retro annis hæsito, anxius illidere in præjudicium longo usu inveteratum et quasi sanctum; veritusque, ne magnitudini propositionis par mihi autoritas atque facundia deesset; nunc vero, viri claissimi! sodalis vester, non habeo, quod reformidem, arrectumque mihi ex vestra tum perspicacia tum et benignitate animum assumpsi; hac mihi benevolæ attentionis spes fit, in tenue quantumvis verbum, quod tamen publica prosperitate gravidum videri possit; illa securus sum, si absonum aut intempestivum, quod protulero, haberi possit,

quod errantem monere, erroremque, ne in publicum diffluat, arcere non dedignabimini. Si vero rectum et in publicos usus aptum deprehensum fuerit, vestro assensu et autoritate id valescere et tuto prolatari, quin et usu ipso excipi posse.

Historiam rei obstetriciæ diffuso obtuitu et summario perstringentibus, quatuor periodos, genio distinctas discernere, facile est. Primam animalem dicere, non abs re erit; propterea quod hominum partus, non secus ac animalium solius naturæ viribus, artis qualiscunque expertes transacti fuerint. Ejus principium a primis hominibus sit; finis latet. Scientiæ et artis tum ne ulla quidem suspicio. Sinistri eventus, valida adhuc integraque hominum progenie, rari, si evenerant, fato adscripti. Hæc periodus publicæ prosperitati quid neque addidit neque dempsit; ideoque citra gratiam juxta ac injuriam fuit. Hanc præ reliquis beatissimam habeo: illa enim, si paucorum vitam, arte, quæ nunc est, genuina servare omissum quidem fuit; myriadum saltem vita arte præpostera, quæ nunc est, non fuit extincta.

Ex insita hominum indole, qua subvenire afflictis, et acerbo quocunque casu laborantibus proni sumus, subsecuta est periodus altera muliebris, fatua, superstitiosa. Parturientes doloribus, qui nec tum a partu abfuerint, divexatæ, trepidæ, ejulantes aliarum feminarum, quas vel vicinia vel affinitas vel consortium trahit, commiserationem excitant; succurrunt hæ verbo magis quam

opere, consolando, et deficientes in spem animumque et patientiam erigendo. His eminuisse aliquæ videntur, post fiduciam sensim et famam sibi comparasse; hæ tandem invocari et obstetrices appellari; quodque primo obsequii et humanitatis fuerit, in quæstum stipemque cedere, suas tandem sibi civitates, oppida, vici obstetrices mercede conducere, rudes, effœtas, et quibus aliunde victus non suppetebat. Sufficiebat dedisse nomen, et accepisse; ignaræ illæ quantumvis, spe majoris pretii et æstimationis artis quid et scientiæ præferunt, quod quale fuerit, et undenam hauriri potuerit? nescias. Hæc periodus insignis est deorum dearumque invocatione, ritibus variis sacris profanisque, immolationibus, votivis tabulis, amuletis, fascinis, incantationibus multisque aliis; quæ vel inania et supervacua, aut et nociva deprehenduntur; quibus, dilapsis cominodis periodi primæ, in erronea, abnormia et noxia ventum est.

Huic subgliscit periodus tertia, virilis, observationis et experientiæ notam referens; cujus effectus si spectes, nescias, an propitiis, an iratis diis data fuerit? experiundo salus et funera miscentur, his excedentibus; futuræ tamen messis hac sêmina sparguntur. Viri medici clari, pauci ut ut, primum consilio, mox manu subinrant; illucescere observatio, ejus collecta quævis scintilla colligi, et in experientiam coire. Hippocrates pater est. Studium rerum hominis naturalium expergefactum; cognitiones circa partus vias, causas, impedimenta invalescunt; nata inde ars vaga, primum in dubia et

incipitia fertur; dein et in sæva atque atrocia proruit; perterritis ita feminis, virorum in generationis negotio consilium, sicque experiundi et observandi facultas interceptitur; majorque in obstetrices fiducia redit, et viri non nisi trepidis et conclamatis parturientium rebus, et raro invocantur. Hujus periodi incrementa tardo temporum et affinium aliarum scientiarum genio torpent; illa tamen versio fœtus artificialis, a Celso descripta innotuit modo; primumque artis obstetriciæ codicem nacti sumus, quem collectis, quæ dispersæ erant, cognitionibus, huc spectantibus, redegit (1513) Eucharicus Rosslin WORMATII medicus, et invento nuper Magonciaci prælo divulgavit; versione confestim linguarum vivarum, vix non omnium, exceptum, avidèque relectum.

Interea nisu, qua scientiæ omnes cum conterminis aliis insigniore cultu eminentibus, pari, ut ajunt, passu ambulare, et in eandem quasi libellam consurgere amant, factum est; ut ars nostra manu muliebri ut ut intercepta sicque difficili quasi compede gravis, citatiore jam gradu in periodum quartam eluctata sit, quam virilem adolescentem appellare aüsim. Forte fortuna obtigit, Ludovicum decimum quartum, Galliarum regem curam partus de la Vallière, ex amore regis clandestino gravidæ, in chirurgum parisiensem Clement, in solvendo difficili partu tum celebrem, cum lætissimo eventu demandasse. Labascere inde præjudicium, virorum exercitio infestum, primum in aula regis, mox in metropoli, post et per provincias, et apud accolæ Galliæ; increbescere virilis in partu difficili

non modo, sed et facili et spontaneo opera, eoque occasio
 verioris observationis et experientiae; et quae ineptiis, vel
 et cruda saevitiae fastidium hactenus moverat contempta ars,
 nunc honore et gratia valere; inde et magis indies
 efflorescere scientia, produci exercitium, ejusque quam
 prava ars contraxerat, nota falsa dedecoris minui, nec ultro
 viro medico indignum haberi, ditescere et perfici instru-
 mentorum penus, forcipe praepriis salutifero; componi
 collegia obstetricia e viris utriusque medicinae peritissi-
 mis; nosocomia pro parituris institui, his discipuli
 tandem sexus potioris, Argentorati primum, post et
 alibi, in Germanorum scholis praecipue, admitti. Haec,
 quam agimus, periodo, scientia nostra altum tenet,
 ut vix supersit, quod desideres; verum laborare videmus
 ejus exercitium; cujus boni fructus non nisi in proceres
 populi, et opulentas urbes, aut illos, qui vi auri eam
 redimere possint, derivantur; majorem hominum partem
 ea orbam cernimus; quin et saevitici artis iniquae et trucidis
 subesse, et opprimi; enitendum igitur est eo, ut splendori
 scientiae, exercitium ejus, gratia et utilitate in tenues quos-
 cunque et inopes, ubicunque degerint, pariter diffusa,
 coaequetur.

Quod ut succedere fortunato possit, aspirandum in ulte-
 riorem et praeter ceteris omnibus felicissimam periodum esse
 existumo; illam nempe, qua semotis imposterum a sacro
 Lucinae feminis, virorum sola manus exercitio tantae artis
 impendatur, ut, quorum solis fere studiis scientia hactenus
 effloruit, et illorum opera et usu omnis, quam recondit,
 praestantia

præstantia ejus exseri, et in quasvis hominum classes redire par utilitas possit. Hæc periodus utrum in propinquo sit, an distet? non dicam; placet tamen fidere, illam certo exorituram esse, et virilis adultæ sive integræ nomine prædicere; nec dubitem, suoapte illam et vicibus temporum, serius fortassis, emergere posse, si studium veri et boni et literarum amor, et perpetuus, qui homini inest, in meliora nisus, torpere potuerint; eam tamen nostris studiis et contentionibus maturescere et impelli posse; ne, quod apponere nobismet honoris et lucri possimus; in posteros et tardiora tempora recedat.

Sitne quispiam, qui eo aspirandum esse non consentiat? qui insumendam in erudiendis obstetricibus operam ultra esse arbitretur? quo et a via usque adeo humanæ perfectionis semper absimus?

Rem enim ex æquo et sine opinione præjudicata ponderantibus facile apparet, mulierculas tantæ scientiæ et artis incapaces esse. Aliquam tamen rationem, quæ ipsam artem, et quæ illam agitant, mulierculas intercedit, inire non abs re erit. Disciplina isthæc et copia et momento discendorum gravis est; ejus dogmata ex communi ceterarum medicinæ partium fonte hauriri debent, cohærentque inter se, ut divellere a communibus propria non possis. Anatome corpus humanum scrutatur, ejusque intimas abditissimasque particulas acri labore rimatur, quo nobis numerus, situs, forma et quidquid ad illarum structuram facit, innotescant; et siquid de earum indole, usu, energia,

functionibus sincere cognitum habetur, Physiologia assequi contendimus. Sitne, qui harum cognitionum experts, disciplinam obstetriciam subire posse sine procacitate suscipiat? Semiotica sanitatis prosperæ et adversæ signa prodit, adeoque vel res tutas, vel spem et metum, vel et certam desperationem nobis significant, quibus securo otio frui, et fortes artem capessere discimus. Sitne, qui his omissis matrum proliumque saluti et integritati et suæ famæ probe consulat? Normam sanitatem tuendi Hygiene exhibet, ex vasta rerum in hominem agentium cognitione derivandam, qua quidem sanum quemvis uti, partus vero negotio impeditas quam maxime decet; propterea quod his non solum plurium simul vitæ prospiciendum sit, sed et illæ morbis propiores, subitaneis et immanibus casibus valde pateant. Sitne illarum ignarus, qui mala imminetia a matribus et illarum fructu avertere intelligat? Quodque rei caput est, Pathologia et Therapia adquirimus; illa enim morborum ordines, diversa genera; causas, effectus, signa atque periodos nosse; hac occasiones artis intelligere, ejusque impetus, vel urgere vel differre opportune, rectaque, ut paucis expediam, iis medendi ratione uti discimus; cumque a gravidis, parturientibus et puerperis vix ullum morbi genus omnino alienum, iisque jam consilio, jam medicamentis, jam et manu armisque subveniendum sit; sitne, qui sine his demereri obstetricantis cognomentum, ejusque obire munus citra salutis publicæ noxas, ipsiusque artis injuriam possit?

At dicent forte: Tantarum cognitionum si viri ingenium capax quidni et feminæ sit? De harum ingenii vi ego qui-

dem demere non suscipiam; aut asserere, illas in cultum scientiarum ineptas esse. Nemo tamen nescit, non esse eam sexus sequioris a prima juventute institutionem, ex qua prono gradu ascendere in scientias queant; et siquæ excipi possint, implere numerum non posse; cumque paucas illas divitioribus solum interesse reperiamus, inducere illas non poterimus, ut ministerium artis nostræ induant; tum quod tam improbi laboris vix ullum lege pretium constitutum sit, tum et quod ipsum illud salubre officium vile et vix non turpe habeatur; adeoque neque emolumentum quid aut gratiæ supersit, quod illicere ingenuas possit habilesque.

Propterea coacti in tantum officium admittimus, non quas ratio rei, et publica salus poscat, ingenuas et sagaces et literarum gnaras; sed quas necessitas aut sors obtrudit, e gleba natas, nullius aut obscuræ institutionis, ingenio hebetes, viribus, ætate, et pauperie, nonnunquam fœda, confectas, adeoque disciplinæ literariæ cujuscunque ineptas. His passim feminis matrum vita et intègritas; his progeniei hominum conservatio; his familiarum incolumitas et dulcis spes; his patriæ tandem columen et robur creditur!

Urgebunt alii: Esse obstetrices et fuisse olim, quæ et sua præsent, et publica fiducia gaudeant. Quibus, si non omnino refrager, sciendum tamen est, si sint, paucas esse, nec omni numero absolutas, sed minus tantum rudes, neque ex instituto, sed forte fortuna subortas; quibus et cœca publici, cui malorum suorum certa notitia non est, fiducia non absit; quæ illis non ex artis, quam exercent,

præstantia, sed ex prospera natura, artem non indigente succrescat, et luxurietur; illas magnis urbibus solum et divitibus inesse; et ita deseri, quæ tamen publico onere non vacet, tenuem et egenam plebem, quæ non, ut illæ, salutiferam artem in procinctu habeant; neque, ut illæ, nummorum vi polleant, qua redimere et accersere e longinquo promptas auxilio manus possint. Has igitur dirissimo cuicumque naturæ et artis perversæ casui patere, quæ nimium proh! sæpe partui illaborantes post mille cruciatus, cruore et spiritu miserrimum in modum exhaustæ succumbunt. Videntur hoc modo substitisse nisus nostri in eo, ne minus rudes, quam minimum noceremus; evitendum cum sit, ut docti, quantum datur, et sagaces, prodesse plurimum possimus, quo si provisum satis egenæ plebi fuerit; satisfactum omnibus esse videri possit.

Equidem medio fere præteriti sæculi tempore scholæ obstetriciæ innotuerunt, primum quidem raræ, mox increbescentes, ut tandem omnes, quotquot bonis et humanis per Europam legibus regebantur, status iis gavisi sint. His obstetrices aliquæ erudiendæ immissæ sunt. Id instituti, licet sero nimis inviguisse dolendum sit, ejusque authores laudem nostram et gratitudinem apprime mereantur, pro ratione illorum temporum aliquo saltem lucro fuit; eo nempe quod exercitium artis nostræ minus quidem asperum reddi, sicque primus in meliora saltem gradus fieri potuerit; quo vero, si de expungendis malis actum sit, nunc ut bonum et optimum assequamur, agendum est.

His enim scholis, ut ut bene institutis, quis exhauriri posse omnem artem, et a mulierculis, quas diximus, opinabitur? illa enim cum conterminis aliis medicinæ partibus arcto adeo nexu intercepta est, ut distinctis limitibus discerpi ab iis non possit; manca igitur et imperfecta omni ex parte cognitio est, quæ his scholis accipitur. Sic in aprico est, perdi operam, quam in reddenda anatomica solarum partium genitalium ratione insumimus; cum assequi eam non detur, nisi communia totius corporis humani intuenti; quo si cognovisse pelvim femineam velis, toto sceleto; si arterias, venas, nervos et resorbentia vasa uteri et reliquarum generationis partium, universis indigeas. Eodem omnino modo se res habet de physiologiis viscerum et organorum usu; de signis, quibus phænomena generationis, quatenus mulierum est, a symptomatibus morborum diversorum distinguuntur; de remediis servandæ et restituendæ sanitatis, quo si cognitiones, ex disciplina obstetricia depromptas, absolutum quemvis medicum decere, videamus, illas vicissim sine reliquarum medicinæ partium studio truncas, et commodo vix non steriles experiamur.

Ex his pronum est colligere, mulieribus, si illas ultro Gynecæis impendendas esse tenaces tueamur; neque in limine tantum artis subsistere volupe sit; emittendum omnem medicinæ campum esse. Verum quantis, si volvere tantam molem susciperemus, difficultatibus premeremur! immutanda primum juventæ femineæ educatio et disciplina esset; quo in scientiarum cultum aptæ, et, ut ajunt, præpa-

ratæ, veluti futurus quisque medicus, habeantur; statuendum esset et lege pretium laboris, quo allici in studium illud ingenuæ possint; esse enim non crediderimus, quæ multis millibus nummum redempturæ, aut suscepturæ sint opus, tædiis molestiisque plenum, nudæ et solius virtutis amore. Absunt et illecebræ, quibus trahi homines cognitum est, honoris et gratiæ; immo est potius, quod fastidiant et reformident; cognomenti (a) ignobilitatem, ipsiusque artis, qua salus dispendiatur, contemptum, quem anilis et imbecilla ars olim revera meruit, nos vero insontes luimus.

His perspectis, an opinabimini, futuras esse bene natas, studio literarum innutritas, vigente juventute, quo et pudicitiam lædere multis videbuntur, sine spe præmii cujuscunque aut æstimationis, quæ vitam molestissimam, qualis obstetricantium est, subire voluerint?

Igitur, quæ scholis accipi debent, discipulæ, illæ præprimis, quæ inserviendis pauperum et ruricularum casis destinantur, non sponte aut defectu coeunt; sed aut magistratum jussu invitæ impelluntur; aut dura pauperie pressæ, crudæ, senescentes, corpore et animo fragiles, temulentæ aliisque vitis obnoxix; usu et alimentis vitæ magis quam

(a) Ομφαλοτομος. Obstetrix. Hebamme. Badefrau. Wehemutter. Commère levatrice. Sage femme. Midwif etc. etc.

scientiæ et dexteritatis desiderio ductæ; ut nescias, utrum harum magis flebile fatum sit, an illarum, quarum de vita et integritate iudicaturæ sint? novæ eo difficultates et impedimenta acquirendæ sufficientis scientiæ et dexteritatis suboriuntur; cum enim angusta, vel et fere nulla his mulierculis ingenii vis esse soleat, ipsa quibus imbui obstetricans debet, præcepta et cognitiones, ut eorum captui coequantur, mutila et extenuata scholis exhibentur. Inde, putem, evenit, ut perperam ars in humilem (Hebammenkunst) et sublimem (Geburtshilfe) distincta, et diverso nomine appellata fuerit; quam distinctionem, cum ars ipsa nullatenus admittat, et in solis, quæ eam agitent, personis versetur, ut fatuam et iniquam repudiandam esse putamus. Evenit eo, ut in scholis istis infra plenæ scientiæ terminos subsistendum, et contractis quasi velis semper procedendum fuerit; intentis potius ut in obtusa discipularum ingenia ars congruat, quam præceptis artis paria ingenia reperire; satis proinde publicæ curæ factum esse rebamur, si de ruditate discipularum aliqua saltem pars dempta esset; quod quam verum, et communi adeo opinione receptum sit, et ex libris patet, quibus fundamenta artis in gratiam obstetricum congesta diverso modo et multoties recusa habentur, quosque catechismos nominare obvium est; hi enim re et pagina tenues, in subsidium memoriæ potius quam intellectus redacti, manifesto significant, claros eorum, qui subinde erant, authores de aliquo obtinendæ obstetricibus perfectionis gradu ne somniasse quidem, ratumque habuisse, ut quantum capacitatis discipulis deesset, ipsi scientiæ succinderetur.

Nunc, ut non valere satis mulierculas in scientias cognovimus, ita et viribus corporis illas et animi indole in ejus exercitium non sufficere accipiendum est; non enim satis est mederi volentibus, scienda scire; et factu opus est. In hoc, quamvis sciatur: mora, et inerte, futurorum tamen segura, arte tutas plurimum partu laborantium res præstari, certum vero etiam est, incidere, quibus etiam corporis firma valetudine et insigni robore indigeamus. Igitur, si dedissemus acquiri a feminis scientiam, iisque impleri numerum, qui omni classi et regioni sufficiat, posse, defuturas illas saltem hoc ex capite existimandum est. Notum enim est, officium promptum in omne tempus anni, in quasvis cœli vicissitudines, dierumque et noctium horas, ab obstetricantibus exigi, quibus tenera et fragilis femina minus modo resistat. Accedit, si adolescentes illæ aut adultæ officio artis nostræ insumentur; effœtas enim vix ullius frugis esse indubitatum habeo; propriis corporis sui vicibus, quibus ob varias generationis propriæ functiones obnoxia ipsæmet sunt, impediri illas posse, quominus omne officium istud et omni tempore expleant, jam partu jam puerperio jam aliis impeditæ; quo obstetricum duplex saltem numerus, ideoque et duplex in eas dos, et sumptus erogandus sit, quin tamen eo res partuum omnino tutæ præstentur. In partu artificiali, cui vis manuum et armorum inferenda est, acriter nonnunquam et diu et intentis nervis luctamur, ut confectis virorum fortissimorum viribus succubuisse exhaustos noverimus, ecquis crediderit immitti talibus misellas tuto posse; a quorum casuum atrocitate vir fortis, et scientia, dexteritate, peritiaque consummata audax paveat et inhorrescat;

inhorrescat; in quibus integram et intactam a conviciis, calumnia et criminationibus famam vix supremi (a) professores conservare queant? si non? quod sane a sinceris et rerum gnaris accipiatur; difficile futurum est dictu; quid peragendum obstetrices in illis, omittendumve habeant? et peragendum esset, rem ab initio sutam male, male resuere. Si ita? omnis scientiæ et artis, qua late patet, campus obstetricibus moliendus non solum, sed et percolendus est. Illud difficile quidem; hoc vero impossibile habebitur.

Prætereo igitur alias difficultates, quibus tamen emergere vix ille possit, qui per omnem scientiarum cultum, pueritiam adolescentiamque transegit; illas nempe, quæ de præceptorum artis nostræ diversa et ancipiti quoad nonnulla eorum capita, qua ipsi doctores mirum sæpe in modum inter se dissentiunt, acceptione exoriuntur; quibus suam

(a) Exemplo sit Ill. *Beaudeoque*. Vir inter obstetricantes, quos habet non metropolis solum, non imperium, non Europa, sed orbis universus, nemini secundus, atros invidiæ dentes effugere nequivit, ut de fama sua sollicitus, quam egestis mille in homines, et humanum genus beneficiis, scientiaque et animi dotibus integerrimam habet, implorare nuper vim legum et iudicii adactus fuerit. Adeone tantus vir a calumnia tutus non sit, quin iudicis impleret? quid si impostum sane habebunt defensionis suæ argumentum ex hac causa. Numquid reformidabunt boni induere exercitium artis nostræ, si servandis civibus intenti, occidisse dici impune possint, quos arte servare non dabatur? In suprema, quam speramus, artis nostræ periodo, severa lex vigil erit in turpem calumniam, quam dicaces et protervi ex studio auri et famæ præcocis, in probos quoscunque hodiè vomere solent; quin hi habeant, quo defendant se, nisi prudens silentium, et in impudentes aspernationem.

opinionem interponere, et usui impendere verecundus quisque eo magis vereatur, quo quis magis illi insuetus, discernere iniquum a recto didicerit; non de dubiis dicam, quæ laude et vituperatione, operum novorum præli, immaturo iudicio, studio et ira corrupto præceptis artis inferuntur, quo difficile sit sagacioribus, illa in varios diversosque naturæ modos, jam intendere, jam remittere, jam inclinare; monere vero non omittam, de animi illa constantia et fortitudine, quibus munitum esse quemvis obstetricantem oportet; est enim modo in phœnomine partus spontanei, qui secundum prosperas naturæ leges evenit, varium quid, acerbumque; ut percelli eo mollis animus, et e præceptis ejici, et in abnormia præceptis agi infirmus possit; immo! scitur, suis et faciles et dolorum fere expertes partus periculis, iisque gravibus et ex improvise incidentibus, non carere, quibus obrigescere vis omnis obstetricantis, et desperatione conturbari possit. Quæ vero in artificiali et violento partu, vitæ fœtum perinde ac matrum infesto, imperturbabilis animi magnitudo et audacia requiritur, fortibus sæpe et exercitatis defuisse vidimus; quo sane credibile non sit, constare pavidam fluxamque feminarum mentem posse. Quod ut magis appareat, intuemini partus, quibus manu aut instrumento intima matrum viscera audacter et acri vi inter miseræ ejulatus impetenda sunt, quibus de vita et morte saltem de integritate plurimum simul dijudices: ob pelvim angustam, et deformem; ob uterum gravidum resupinatum, ruptum, prolapsum, aut intra herniam delitescens; aut extra partes genitales post partum inversum; ob terribiles uteri ante partum, in partu,

et post partum sanguinis profusiones; eas potissimum, quæ placenta, os uteri obstruente, exoriuntur; ob horrendas variarum generationis periodorum convulsiones et multa alia, quibus ambigua semper salus et prosperitas multorum esse solet; quibus si virilis et sagacissima ars subvenerit, vix vitæ periculum, si gravis ea et inefficax, ne certam quidem, post diros sæpe cruciatus, mortem eluctamur.

His ex æquo æstumatis patere arbitror, si quidem morem antiquum et ubique receptum abolendum esse suaserim, non id oscitanter a me, et petulantia, neque sine validis rationum momentis factum esse. Neque tamen abnuerim, futuros, qui vetustum morem tueri, meamque de hac re sententiam explodere annitantur, neque diffitear esse, quæ in eorum rem facere posse videbuntur. Audio enim modo: si sexus sequior in errores ninium proclivis, ideoque ineptus haberi possit, humanum illud utrique sexui, ut nævum omnibus congenitum, inesse. Verum non ego temere de perfecta hominis cujuscunque virtute fucum facere velle videar; ipsa enim, multis retro sæculis, et præstantissimorum sibi succedentium virorum contentione, exulta scientia et ars, neque mendis libera, neque numeris omnibus absoluta est. Queror de aptitudine feminarum in istam disciplinam minorem, queror de detrimento et malis, quorum a muliebri manu plus, quam a virili metuamus; queror de tenui feminarum facultate et præstantia in servandis matribus earumque prole; de quo vero quam maxime conqueror, illud est, quod ex instituto hodiernum ordine meliora, quantum licet, sperari nequeant. Immittendos igitur in artis

illius difficillimæ exercitium solos viros esse suasor sum; quo saltem in futurum tempus ordo nobis talis et disciplina instituat; ut imminui, quantum potest, errorum noxæ possint, et increscere spes præstantiæ majoris; verbo: ut in viam tandem perfectionis, quantum assequi illa potest, inducamur.

Alii moris antiqui tenaces, septam male pudicitiam obtendent, quo novo, qui assumendus esset, ordini assensus detrahatur. Id argumenti vero refellere supervacuum sit; eo quod virtutis falsam speciem præferunt, et recepto, apud proceres et divitum urbium incolas, usu suoapte fatiscent; neque facile in libidines profluant, quibus, extinctis illecebris, cum tristibus et acerbis subeunda lucta est.

Neque convelli propositio mea potest, Græciæ quondam illustris, quam sine successu hac in re instituit, experientia: Lata apud Athenienses sapienti sane, quod a tantis viris exspectes, consilio, lex fuit; ne in medicinam quamcunque faciendam, mulieres admitterentur; ideoque studiis prohibiti sunt. Agnodice legem hanc elusura, virili habitu latens, Erasistrato præceptore usa, medicinam et artem obstetriciam postea exercet. Cognito ejus sexu, medicorum invidia vis latæ legis invocatur; cui obtemperans Areopagus, ulteriori ejus exercitio interdicat. Confluunt in Areopagum Athenarum uxores, et causam Agnodices promiscue fletu, precibus, iraque acriter adeo agitant, ut cedere Areopagus, et abrogari lex debuerit. Verum lex illa, quantumvis bona, supergressa est rationem sui ævi, et cœvorum hominum, et

scientiæ, quæ tum fuit, obstetriciæ; verioris enim artis nostræ tum ne prima quidem rudimenta extiterunt; ideoque vinci consuetudines hominum, sacra et profana superstitione impeditorum, nequibant; nunc ab illis resipiscere incepimus; cognitionibus in omni scientiarum et artium genere, quæ nec a plebe omnino absint, valde aucti; quo sperare liceat, eandem legem, si nunc restituta promulgaretur, non obsequio solum, sed et communi voto a lætis et gratis excipiendam fore.

Neque deerunt, qui ex difficultatibus, quas instaurationi novi istius instituti opperiat, sinendam rem esse existimabunt. His quidem non ita refragabor, ut nullas esse asseram; illæ vero insuperabiles non, nisi segnibus in felicitatem publicam, videbuntur; immo! ævum nostrum potius tantæ instaurationi opportunum habeatur, eo quod ex novis in noviora devolvi assueti, sicque proniores simus accipiendo, quæ in majorem omnium prosperitatem cessura esse, facile sit dignoscere; et si fuerint, qui sumptuum eo erogandorum magnitudine deterreri possint, recordentur: cogi si possint, quæ in securitatem, quæ in splendorem, quæ in fortunam et commodæ vitæ usum expenduntur; quidni parco sumptui suffici possit, erogando in civium vitam, salutem, integritatem, beatitudinem, augmentum, ideoque in patriæ robur?

Equidem mei jam propositi non est (nam nimia mora patientiam vestram fatigare timerem) modum expedire, quo institui res ipsa, et in usum converti, aut possit, aut debeat; dicam tamen, tendendum eo esse, ut cura illius in

tenuem et inopem præprimis plebem, et ab urbibus opulentis remotam, dirigatur, quibus tutis, tuti omnes habeantur. Ut scholarum sufficiens numerus instituat, quibus erudiendi non nuda solum præceptorum voce, sed et ipsamet natura, magistra optima, et fallere nescia, uti liceat. Ut pretia statuatur, quibus allici in scholas ingenuorum sufficiens numerus possit, suppressis oneribus, quæ medicis exsoivenda sunt, et quibus vilescere ars possit et fastidiri. Congruum hoc et in medentes omnes habeatur; confluentibus, quæ ars obstetricia confert, emolumentis, cum illis medicorum internorum et externorum, quo augeri medicorum numerus, simulque horum domestica res et subsidia vitæ possint; certum enim est illud Taciti » sublati studiorum pretiis ipsa studia peritura. »

Nunc, Viri sapientes et boni communis cupidissimi! pro benevolentia, qua audire me, et connivere, facundiam non exercenti, voluistis, gratum præprimis accipite animum. Perpendite rationes, quibus coram vobis disciplinæ obstetriciæ instaurationem proponere impulsus sum. Intellexistis, muliebrem operam obscuris et rerum notitia vacuis fere temporibus, arti incultæ diu, post fatuæ et deformi, tandemque truci et exitiosæ subrepsisse; veriora artis præcepta, sero et lente, soloque virorum studio et usu emersisse, sensimque demum ordinata serie in scientiam inviguisse, cognitionibus medicis qualibuscunque acceptis redditisque gravem, et universæ medicinæ, non discretis limitibus, conterminam nec dissociabilem. Intellexistis, sexum sequiorem, neque in scientiam ingenio, neque in exercitium vi corporis et animi

satis valere, eoque, donec interfuerint, disciplinam istam claudam fore et imperfectam, omnemque, qua pollet, gratiam et utilitatem non nisi virorum vi exhauriri posse. Hæc expertis et gnaris rerum, quin minutias persequi opus sit, in dijudicanda re ista sufficient. Si iniquum aut intempestivum, aut a publico bono absonum, quod propono, visum vobis fuerit, alto illud silentio et oblivione sepultum esto; et me vestrum otium citra emolumentum et gratiam trivisse condonate, meliori saltem illaboranti, quod maturescere fortassis spatium et alio sidere possit; si vero inesse arbitramini, quod addere saluti hominum, scientiæ splendori, matrum, earumque progeniei conservationi, familiarum felicitati, patriæ auctui, lucro tandem omnium, et nos in melioris disciplinæ spem inducere possit, assentimini; quo assensu vestro, vestraque, qua valetis, auctoritate palam divulgari illud tuto possit; quo et accipi id auribus Imperatoris NAPOLEON posset, cui si bonum videretur, de possibilitate non ultro curaverimus.

[The text on this page is extremely faint and illegible due to low contrast and blurring. It appears to be a multi-paragraph document.]

DE OFFICIO
ARTIS OBSTETRICIAE

CONCEDENDO SOLIS VIRIS,

ANNOTATIO ULTERIOR:

*QUOMODO RES ISTA INTRA VIRORUM SOLAS
MANUS TRADI POSSIT?*

SUBMISSA

SOCIETATI LITTERARIAE MAGUNTINAE

25 Aprilis 1807,

Λ

J. P. WEIDMANN.

MAGONTIACI,

APUD F. KUPFERBERG.

ARTS OBSTETRICAE
LIBRARIUM
MUSEI HISTORICO-NATURALIS
MUSEI HISTORICO-NATURALIS
MUSEI HISTORICO-NATURALIS

In quibus abolere labem veteris ignominiae et recipere gloriam possent.

Tac. H. III. 24.



ILLUSTRISSIME PRAESES!

HONORATISSIMI SOCI!

NUPER vetus et apud omnes fere gentes celebris mos, quo non credam exstare perniciosiorem a me coram societate accusatus fuit; scilicet,

„ Credi artem obstetriciam imbelli mulierum manui, in quam apud primaevos, positis nondum scientiarum rudimentis, delapsa est.

„ Credi etiamdum, vitâ hominum pravis ineptarum molitionibus mille millies pessumdata et in dies adhuc praecipiti, quanquam jam scientiae istius cultus mirum ubique in modum invaluisse dici possit.

„ Trahi itâ morem iniquum, a scientiarum et aevi nostri genio perinde ac a publica prosperitate, quam sane aliis in rebus quaviter curant, alienum.

„ Institutas quidem oppido scholas esse, quibus erudiri quidem obstetrix queat, et benedicendum sit, quia inde artis pravae et trucis mala, circa partus, quos naturales

vocant, coercere utcunque intendimus; queis applaudere tamen omni ex parte non possumus, propterea quod usus, scientiae impar, in abnormi partu, consilium sagax, et strenuam manum exigente, tantum, quantum datur, hominum vitam et integritatem non vindicet.

„ Questus demum: ita rem, sutam ab initio male, male et hactenus resui, eoque nos imbellis et iniquae non solum artis mala luere, sed et a via meliorum abesse; dolui, damnis tenuem praecipue et aspero labore exagitatam ruricularum gentem, ab urbibus et musis remotam magis sic patere; quae si tuta hac in re foret, sarti tectique omnes dici possent.

Si admisisse videar: sufficere obstetrices in naturales partus posse; sane nimium largus fui: habet enim naturalis etiam et felix partus, tam diversa, tam grandia, saepeque tam immania ancipitiaque, quibus exercitii vetus, et consummatus obstetricator obstupescat, anxiusque haereat; his imbelles conturbari, casuumque improvidas, in intempestivam vel securitatem vel pavorem audaciamve proclives esse, mirum non est, nam si instructionis in schola et praeceptorum lucrum capiant, exiguum est et brevis memoriae; mox vulgi errores et praejudicia pronis auribus recipientes, proprii studii et sinceræ experientiae incapaces, in pristinam ignorantiam recidunt; serviunt spe mercedis, honoris quid aut gloriae non appetunt; artis sinistros eventus, quibus parum affliguntur, fato adscribunt; errorum incuriosas non pudet aut poenitet; iique praeterfluunt, quin de correctione cogitent; ultionem legis ob commiserationem non invocaverimus;

nam et a complicibus pendenda poena foret. Ideo ne partus quidem secundus has intra manus securus haberi potest.

Moris inveterati et gravis, studio, quantum in me est, acri remedia persecutus, opinabar, rem ex integro reficiendam esse, si validam et aliquo modo absolutam vellemus; quod susceperam societati nostrae proponere, ideoque solam virorum operam insumendam esse, verborum parcus, quae solum in rerum istarum gnaros dirigenda esse videbantur; momentis rationum, quibus niti possem, omnibus non usus sum, quibus tamen diductis et explanatis crederem, adduci in consensum non solum doctos sed et vulgus posse.

Tali modo in priscum morem, vetustate quasi sanctum, ubicunque receptum, et adversario vix ullo impetatum, alius, submissa propositione putabam: sic innotescere et propalari malum, eoque obiri ejus remedia posse, qua in re multo plus integra cujusdam societatis quam tenuis singuli autoritas valeat.

Nam ad eruditorum consociatorum praecipue pertinet arbitrium, quod de salute universorum tractari debet.

Equidem societatis de ista propositione sententiam non rescivi; nec an valida vel invalida argumenta mea visa fuerint?

Qui meam sententiam inierint, paucos quidem habeo; quod an verecundiâ in moris antiquitatem, an difficultate

vel impossibilitate novae, quae instaurari deberet, normae, an ex alia quapiam causa? non dixerim.

Attamen a proposito, quod bonum videtur, deficere, et in re, saltem scopo non illaudabili, non ultro aspirare et eniti, nefas duxi; ideo, ut quondam edocere intentus fui: muliebrem artem illam mancam et expungendam esse, ita nunc indicare suscipiam, quomodo institutio talis adiri, sicque in meliora speratus progressus parari queat?

Nam habeo viros doctos et gravioris autoritatis, qui annunt: impares officio mulieres istas, quarum nobis passim copia fit, esse; de difficultate vero institutionis novae, ambigui metuere (a) et tergiversari videntur: tanquam modulos posuerim utcunque bellos, quos vero impossibile sit, canere.

Interea dandum est: habere suas difficultates novam institutionem; ast, num harum pavidi in meliora tendere, viamque recti, quam dignoscere licet, sinamus obire? an tanta difficultas sit, ut in emergendi spem nequidem assurgeremus? videamus, quae sint illa difficilia, quo et media persequamur, quibus superare illa concedi fortassis posset.

(a) Quos collocutus tantum, sentire mecum, scio; consentientem, qui praelo divulgaverit, nullum fere. J. P. FRANCK, author praecellens de politica re, quae medicorum est (*System einer vollständigen medizinischen Polizei*, Mannheim 1784, B. I. p. 651.), quaestionem quidem movit, an utile sit rem obstetriciam virili omnino sexui tradere? respondere tamen in aliud tempus distulit. Credas siluisse virum illustrem verecundiâ vetusti moris.

In quo, si extrema tantum tetigero; exactiora iis tractanda venient, quibus rerum gerendarum publica cura demandata est; horum arbitrio, integrum sit, totam et ex quavis parte rem spectare et emetiri, mihi venia sit, bonum quod apparet, velut e longinquo tantum indicavisse.

Scitur: populos morum suorum, pravorum utut et noxiorum, perquam saepe tenaces esse, ignorantiam fere, vel maiorum inde orientium assuetudine, aut novarum rerum pavore socordiaive.

Ideo cupidis meliorum praeprimis eo tendendum est, ut moris pravitas, primo apud proceres doctosque, dein et universim patefiat, quo trahi in illum primum invidia, dein fastidium et aversatio possit.

Quamobrem periti et sagaces, argumentorum, in rem facientium, momenta, pensitent; si invalida fuerint, praetereantur; si ambigua, subjiciantur ulteriori prudentium examini; his demum certum probatumque pronuncietur. Ita, vel dimissa, si nullius frugis propositio foret, vel, si valida, primum modo in meliora gradum factum esse, opinarer.

Congestis doctorum sententiis gliscit sensus veri primum apud singulos, brevi post excitata contentione multorum, universi consentiunt.

Equidem mores, quo magis vetusti sunt, omnesque gentes tenent, difficilius vertuntur; vicibus tamen temporum et illucenti indies magis sapientiae cedunt; quis dixerit, meliora apud priores omnia fuisse; et nostra tempora posteris imitandum nihil afferre posse? Mirandum non est, si ignotae artis, quae apud priscos erat, nulla cupido fuerit; mirum sane! si ars, cujus jam praeceptorum probata series inviguit, trepidis imbellium manibus permittatur, scientiaque vix non repudietur, qua efficacior ulla, et uberioris fructus vix extiterit.

Igitur publicis monitis atro carbone notanda iniqua ars est, quae conservare civium vitam, dum fas est, omittit; excipiendus publicis tabulis numerus matrum foetuumque partu prostratorum; percellantur planctu malorum incuriosae mentes; lamentemur, sic teneras dilectasque matres, dirum horridumque saepe in modum, discrucitari, et divexam demum animam reddere; congemeamus sic caram prolem, sic familiarum, sic communium nonnunquam spem, sic robur patriae obteri.

Horum sane! si vera ratio percrebuisset, crederem, induci potentes et obnoxios posse, ut in inveniando tanti mali remedio allaborarent; quo, si illi demum legem salutariferam tulissent, his obtemperare non grave, sed valde gratum acceptumque foret.

Vulgus novorum commoda, in quae propelli saepe debet, respuere, rarum non est; rationi tandem, et secundis exemplis

obsecundat; nam et magna, urbanorum praeprimis, pars, adoptato in partus virili subsidio, modo obsecuta est. An in sua lucra rucolas, bono et vero sane non minus ac coeteri opportunos, impossibile sit adducere?

Repelitis monitis, attenuata vi praejudicii, studia nostra eo vertenda sint, ut novus, qui substituendus est, rei ordo, in adultam, ut hodie est, artem temporisque rationem par, in promptu sit; huic conjuncta peritorum opera insumatur; tali fere modo expeditis primum obstaculis, novus, cum sperato successu, ordo iniri posset.

Neque subire quempiam animus potest: praecipitanter e Gyneceis obstetrices cum odio aut aspero impetu ejiciendi, ut intrudi solus obstetricator queat; quamquam ingens malum vehementia saepe remedia poscat; dandum sane quid consuetudini, dandum misellarum sorti; ne citra culpam, et ex improvise male plectentur, et vitae alimoniam perdant.

Tota utcunque res ita disponi deberet, ut singula in novam legem, si lata et promulgata foret, congruerent, votisque cunctorum responderent; diversa enim et male juncta si emanarent, a scopo aberraturi essemus, aleamque pejorum adituri; quo quidem postea malam rem actam fuisse dici non posset, sed male.

De proposito tandem unanimes quaerent, quando subire novum ordinem conducatur? in id prompta quidem et absoluta mihi responsio non est; observare tamen velim, moram,

dum benefaciendum est, non convenire; prudentes ab extremis, morae et festinationis, perinde abesse intelligent, ne ex parte alia immaturum quid capessant, ex alia vero, rei, cujus jam quidem desiderium necdum motum est, desideratae vero serius, occasio praeterlapsa sit; quod quidem in hac ipsa re magis pertimescendum esse potest, tempore quo, jubente lege, obstetricum defectus curam publicam denuo excitet, illaque in perficienda ista re quantislibet impensis non parcat.

Nemo sane praeterviderit, ex restaurata, ut praesens lex vult, obstetricum re, oborturum insigne impedimentum pro illa, quam proponimus institutione; si capto magni pretii experimento tandem edoceremur: mancam semper et defectuosam rem obstetriciam intra mulierum manus esse, veluti id composita ratione capacitatis foemineae cum artis difficultatibus augurari licet; si postea et cura publica in rem medicam et chirurgicam pro ruricolis restaurandam, conversa foret, perspectumque haberetur: alterius alteram adminiculis indigere, nec nisi conjunctas proficere posse.

Non tamen pervicax is mihi animus est, ut bonae, quae mihi videtur, legis institutionem urgere intendam; propono tantum, quod medicorum, et boni cujuscunque viri esse dabitur; sapientiores viderint, an studiosi suasoris consilium acceptabile sit, nec ne; an in rationes aliarum legum, temporum, locorum, facultatum, aliaque congruat.

Nam et ut caveamus, oportet; ne, si malum quidem, quod arripuerimus, non sit, optimum saltem, cujus jam prona, postea vero difficilior multo occasio esse possit, omittatur, quo disciplina, modo restaurata, trudenda denuo foret.

Si percunctemur, an per omnes una alicujus imperii provincias aut illarum circuitus institui novus ordo aut possit aut debeat? non refrager iis, qui in discretis primū provinciis experiri praeferant, prout a vetusto more plus alii, alii minus resipuisse visi fuerint, prout et ex aliis causis in novum ordinem alii plus, minus alii proclives esse videantur, aut ab illō magis alieni.

Utcunque res accipiatur, certum est: in tenuem, egenam et a musarum sedibus remotam utcunque gentem curam praeprimis vertendam esse.

Illa enim gens propriis facultatibus artis et scientiae istius suppetias parare sibi non potest; urbes illis pabulum sufficiens, quin et illecebras offerunt, quibus suoapte allici et sustentari queant. Si artis beneficia in distantes pagos redundaverint, an orbus quispiam excessurus sit?

Sunt, qui per campanias jura reddunt, qui publicam tranquillitatem, qui annonam, qui mores custodiunt; an utilissima illa, et labore aspero defatigata populi pars istarum curarum de salute publica expers gemeat? an ejus vita et integritas, sine quibus vita beata non est, hac ex parte male custodita supersit?

His recognitis, in alias medicinae partes conversi, harum in remotum rus, deesse etiam ministeria percipimus; quo, si incumbant febres, nullum consilium validum in prociinctu sit; nulla consilio juncta dextera manus, saucius subventura?

Itaque ultro perquirendum, an in singula parte laborantibus, opportunius non sit, universas complecti, sicque officium et medici et chirurgi et obstetricatoris in unam eandemque personam congerere? sane! non posse solum, sed debere ita rem agi, opinarer. Si primo obtutu difficultatem rei peragendaē augere existimare quispiam possit, propius inspicienti, potius juvare, apparebit; nam sumptuum ita minore dispendio commodorum multo plus redemi posset; et providendo parti, totum peragi. Sumptus non a communibus, in ineptas ut plurimum et tenuioris spei, expendere; sed ferendi ab iis forent, qui in tantum negotium habiliores, tum meliora promissuri essent, tum et rejici indociles citra damnum communium eoque possent, donec scientia et dexteritate non satisfacissent; nam et laboris et impensorum praemium in muniis invenirent, quibus vitam alere eamque honoratam complere possent. Salus campagnarum ita omni ex parte tuta foret.

Equidem vix possibile est, tot medicos, singulam quandam partem exercentes, in dissitos pagos disponere, quot sufficere omnibus possunt; numerus enim immensus foret; cui non publicus thesaurus, non loculi privatorum sustinendo par forent. Nam et illud saltem studiorum pretium

in medentes ferri oportet, ut de aliena vita solliciti, de sustinenda vitâ propria non angeantur.

Facta, de studiorum pretiis mentione, sentio multorum supercilia adduci et significari: jam populos securitati et bello intentos, novis in vitae commoda dispendiis objici non posse; verum quod in diem opportunum non sit, apprime convenire in alterum potest. Vult sane pacem, suis securam aequam cunctis IMPERATOR NAPOLÉON; profligabit bellum assuetus, quae vult, cito praestare; ecquis ergo de propinqua pace dubitet? salutem et vitae dulcia, quae socordia saeculorum praeteritorum amissa fuerant, opperiri licebit, et quae jam pubes armis indui debuit, in artes fere et scientias revertetur. Armorum praemia larga cum videamus, sane eadem defutura non erunt scientiis.

Quaerere: unde sumptus petendi sint in novam institutionem impendendi? praetermitto; quippe medicorum id non esse, et ad illos magis pertinere videbitur, qui rem status aerariam tractant; quo vero tantis, quantis putare quis posset, opus non esse appareat, et quorsum impendendi sint? quadantenus et obiter perstringamus. Pendendorum sumptuum pars maxima in scholas cedit; pars alia in honorarium exponendis medicis statuendum.

Partem priorem ex aerario status assumendam esse, arbitrantur; alteram ex singulis municipiorum vel civium colligi posse; nam et instituti fructus tam in communes quam privatos usus refluent.

Scholarum in nostrum scopum instituendarum summum momentum est; in his rei veluti cardo vertitur, his recte institutis et gestis spem omnem concipere licet; si secus, nullam.

Has scholas omni ex parte describere, non praesumpserim; lineas tamen tenues et extremas, veluti in umbras, quibus maxime prostant, ducere, non abs re fuerit.

Sit numerus scholarum in imperii vel regni cujuslibet magnitudinem aequus. Excedente, sumptus erogandi praeter modum commodumque ingravescent; rariore, disciplinae opportunitati male consulitur.

In totum regnum scholas una omnes distribuere, nullam, quae urgeat, rationem sentias; quin et prudentius sit, experiri hic alibive, et secundis demum experimentis reliquas adstruere, tandemque suam, in quamvis provinciam scholam disponere; parcendis sumptibus binas, ternas et ultra forte provincias in unam eandemque scholam, non minori spe, componere dabitur.

Cum medicos consilio et manu validos, atque in omnem artis medendi ambitum, partusque subsidia desideremus, in aprico est; tales et esse scholas debere, ut in quavis medicinae parte invalescere tiro et progredi; ut verbo non solum, sed et exemplis usuque artis proprio perfici possit: in chirurgia, in medicina, quam internam dicunt, simul et in obstetricandi arte.

Itaque eo praeprimis tendere oportet, ut disciplina scholarum vera rectaque sit; ut simplex, pura eoque brevis facilisque captu, neque tamen non plena tradatur, eaque discipuli experientiam magis quam vanam saepe et superabundantem literarum cultum induant. Si praeierint sinceri doctores, secuturi sunt dociles et proni in imitationem discipulorum animi.

Scilicet vera doctrina illa est, quae ex ipso naturae, verorum fidissimo fonte petitur; quam phenomena vitae, sanitatis et morbi produunt; quae visu, tactu vel et alio quocunque sensu sanorum accipitur; quae his superstruuntur artis praecepta, recta dici poterunt. Haec hauriamus avidi, relictis specie probabilium illudentibus ingeniorum lascivientium facetiis, nam de his nullus consensus; ista, vera rectaque omne aevum, omnis gens, omnisque secta tulit; eaque ad naturae normam relata, vera et recta iterum iterumque deprehenduntur. Horum, quantum datur, apud priscos medicinae scriptores perinde ac apud recentes, colligere oportet, et in totum quodpiam, disciplinae medicae veluti corpus, conferre.

Adscribendum igitur veris est, quidquid ad historiam sani et aegrotantis spectat, hujus ut causas tollere perdiscamus, illius conservare; vera semper assequimur si phaenomena sanitatis prosperae, variarum vitae periodorum, sub diversis locorum, aeris et aliarum vicissitudinum rationibus aucupemur; si, quae ad morborum ortus, incrementa et terminos, quaeque ad illorum causas, effectus, signa, dig-

noscendi scientiam et modos curandi pertinent, princeps et vix non sola studiorum nostrorum meta fuerit. Sic dimissis, quae ab his aliena sunt, materiam posteris non daturi simus, quam priora tempora dare nobis non cessaverunt, errorum recurrentium culpam continuo arguendi, redarguendi ipsimet; propterea in studium ipsius naturae toti, ejus perennes leges auscultemus et experiundo percontemur; sique innotuerint, in continuum usum eoque in vim habitus referamus; his demum probata et secura artis praecepta adstruamus; infirmioris ratiocinii, ubi sensus deficiunt, parci atque prudentes.

Sint sui nostris scholis codices, e serie verorum istorum rectorumque compositi. Non pigeat, si brevi pagina comprehendantur, dummodo sincera omnia, principalioraque insint; doctrinaeque totius membra, convenienter disposita affabre inter se congruant. Nam et pictores linea tenui et rara insignes saepe objectorum reddendorum imagines projiciunt, quas emunctus quisque facile dignoscere potest.

Schola qualiscunque artis partem tantum tradere potest; ideo potior praeprimis capessenda est, cui velut in fundamentum operis positi pronum sit adstruere reliqua, quae et spatio temporis propriisque discentium exercitiis maturescere et impleri possunt. Sic et in futurae messis spem, non farinarum quid, sed integra semina jacimus.

Cum nemo unquam omnia utilia in scholarum codices congererit, prudens aliorum scriptorum lectio in supplementum suadenda est; discipuli in delectum trahendi sunt,

ut et ab indiscreta librorum qualiumcunque lectitatione arcere illos satius sit. Videmus utique multos jam lectitando conficientes sese, desides tamen et ignavos; obsaturantur verbis, ingenium iners et intactum languet. Naturae judicia praeprimis legenda et audienda sunt, cumque protinus discipuli modestam naturam percipere vix queant, interpretantium magistrorum gnaris indiciis exacuantur. Librorum de coetero a natura et vero desciscentium copia obruimur, quam feriati et lectuum expertes in nundinas et mercedem magis, quam in scientiae verae lucrum constant; quin et praecellentes, naturae imaginem dare intenti, vix umbram assequuntur; quo satius sit, ex ipso fonte haurire; profutura est tamen sincera lectio tam ad reficiendam praeteritorum memoriam, tum et explendis vacuis temporum spatiis, quibus natura ipsamet observationi et experientiae non patet; nam et omnium natura occasiones omnibus non apperit.

Scholarum codices concinnum discendarum ordinem praeferant, quem viva magistrorum vox facile sequatur et explanet: a communibus ordiri; ad propria locorum paritumque progredi; compositis affinibus, prona in memoriam serie cuncta, saltem principaliora peragere. Ab ordine nimium vel rigido vel dissoluto perinde alieni, caveamus, ne in minutias illo confusi discipuli distrahantur; hoc, in ambages.

In disciplinam nova, quae in scientiae lucrum apponenda esse, videri possit, O! si singuli cujuscunque lubricini projicere concessum non sit! dum exercitii vetus timet, re-

centes praesumunt; inania pravis mista diffluunt; quodque mendorum expunctum modo et oblitteratum fuit, recurrit; conduntur praecepta a nescientibus exequi; aggestis fabulis artis divitias mentiuntur, experientiâ prudens pauperiem male celari perspicit.

Nunquid potius sit, ex collecto procerum, ubicunque degentium, arbitrio nova quae indies pullulant et praelo disperguntur, judicare? his censoribus recta et probata assumi et retineri, his castigatibus invidiosa, quibus viri docti et amantes boni communis saepe impetuntur, reprimi possent. Scriptores medicarum rerum jam saepe dubii esse possunt: utrum laude vituperatio potior non habenda sit? nam temere proscindi videmus imperitiâ, irâ, favore arrogantiae, modesti fere et rerum periti obmutescunt.

Non sane levis opera est, scientiae infelix lolium sarrire, sinunt et evellunt juvenili aestu; indulgentes propriis aliena aspernantur. In densa et sterilibus spissa re literaria, quis bonae frugis et retinenda, quis gnarus et incorruptam fidem professus pronuntiet?

Medendi rationem aliam tuetur alia gens, alia provincia, alia civitas, alium fert novus annus, nova dies, alia schola, naturâ semper eâdem, iisdem morbis; medentium alter coecum errore alterum redarguit, lippus ipse; regulam recti fidam nemo habet, nec facile est, dijudicare: copiâ an penuriâ magis premamur.

Vis naturae insita, eadem, nî fallor, qua vivimus et enutrimur, clam multis morbis medetur, eoque medentibus quibuscunque quin et pravis favet et famam parat; habet natura etiam, quibus peritos et eminentes contristetur, modestiamque in arrogantes reducat; quos dum pari impetu in morbos suoapte solubiles, ac in illos, quos efficax ars profligare debet, ferri videmus; anhelare magis credas, ut videantur medici, quam ut sint.

Propterea pura eoque simplex nostrarum scholarum doctrina esto! suum naturae medicatrici et faustae spatium dare discamus; suum, deficiente illa, audaci et herculeae arti; ab ancipitibus abstinere, vana et supervacua non moliri; quo sane si pura adveniret scholis doctrina, advenisse tandem laetam simplicitatem, signum veri, gaudere possemus; certumque assequi, quod deesse rudes et docti, nec perperam, obtrudunt.

Habemus sane certorum magnam copiam qua gloriari ars medica et vix non divina dici possit; utique incertorum pars multo major superest, quibus homunciones emergere hactenus non potuimus; haec si dignoscentes praetereundo inter abstrusa seponamus, confessis ultro, quod obtrudant, non superfuturum est. Quinimo scholarum obvia et obsequiosa credulitas deliramenta procacium qualiacunque facile nimis haurit, et pro veris fovet venditque; ideone medicina incerta sit medicorum peccatis? Intervallorum certi et incerti perspicacia, ars medica certa est.

Si schola nostra eruditionis et citatorum nominum apparatu minus aut vix non strepent, non angamur, dummodo a natura non recesserimus; si ingeniorum fluxa commenta sequi, si ultra sciendorum fines transcendere omittat, si fidam solum et probati usus doctrinam, utut augustam, sequi praetulerit; laetemur: utpote quo a vera medicina rectisque ejus praeceptis minus tirones aberraturi sunt. Jam eheu! conjecturis et ingenio ludere, saeculum vocatur; philosophia quam naturalem dicunt, et chemia, in scenam reproductae, sese magis exagitant, quaeque explicandis naturae legibus alteri lauream praeripiat, et secta prior habenda sit? decertant. Crederes: almae naturae leges non indagari, sed condi; trahuntur imbelles, rei novitatem admirati. -- Horum protinus, ut priorum omnis memoria extincta est, simul ac in ipsam naturam reversi fuerimus, quam tandem delusi semper repetimus.

Nec ingenio humano firmitatis tantum inest, ut recidere abstineant; ab errore vix resipientes, desipere, aliter tantum, denuo incipimus; dum nuperorum taedet, nova parturiunt, ut nescire quispiam possit, a quo metuendum sit magis, an a cohorte incumbentium morborum, an a diversis ita medentium sectis.

Si brevioris quidem et succinctae disciplinae desiderio teneamur, nequis tamen existimet, significari: artem ipsam brevem esse, quam inexhaustam adeoque immensam omnis, non obtusus, facile perspexerit; nec credant truncum quid vel claudum me velle; id vero in votis est, ut fluxis et vacuis procacium commentis-turgida non sit; velim ut falsorum

vel temere projectorum aut oscitanter assumptorum abstinentiâ minor quidem, mutila tamen rebus non sit, ad morbos eorum historias verasque medendi rationes spectantibus; si verborum illis ampullis quibus intima et abstrusa naturae pusiones toties decepti pandere gestiunt, si illis quae ad recte medendum non faciunt, quin et oblivioni tradenda sunt, disciplina nostra brevior fuerit, sublimi feriamus sidera vertice.

Nam si cujuslibet humanae functionis vera plenaque ratio dari posset, aperta omnis esse deberet, credique: arcanum totius naturae brevi divulgatum iri. Verum omnibus reciproco inter se nexu diffusis impenetrabile quid subest, quod prudens sentiat et vereatur; in quo ingenium exercere et conjecturas projicere ludibundus quidem possit, quibus tamen nefas sit, praecepta severae nostrae artis adstruere.

Quaecunque igitur sensu ab ipsamet natura impetrari queunt, avidi amplectemur; illam, dum sua phaenomenis pronuntiat, observando audiamus, percontemur, dum silet, experiundo; discipuli, cum protinus modestae naturae effata non intelligant, explicationibus magistrorum erudiantur; subtilia explicationum et speciosa, si non extra cogitationem, saltem extra scholam et artis usum seponamus; rimentur et revolvant alii docti et periti viri vel consociatae sapientum societates, donec probata maturuerint, legibus naturae, vel artis praeceptis inserenda; quo quidem summa humanissimae artis petentibus applaudere non cessemus; verum si impatientes graduum paleantur, absumus.

Ita tironum quidem sensus magis exacuuntur, quam praecox et errabundum ingenium; ita de intimis rerum causis suspectare verebuntur, aut, si auserint, divinasse non illico asserent; nam talia agitantibus non sufficit, exilem quandam veri micam aut speciem tantum veri ut flagrans undequaque verum accipere, oportet ut verum omne ex integro appareat, si inducere et induci nolimus.

Cum schola nostra uni numini: experientiae, devota sit; oportet latam satis, nec tamen nimiam, qua tironum attentio diffluat, copiam nancisci, discipulis ut discere et observationes fidas consignare, magistris ut docere queant, exceptasque calamo observationes ad amussim sempiternae naturae remittere. Propterea aegrorum hospitia summi usus sunt; quibus dum singulorum miseriei subvenimus, simul in universos doctrinae fructus et futurorum malorum solatia dispertimur.

Hospitii discretam partem febres habeant, quibus consilio medendum est; partem alteram, saucii, consilio simul et perita manu indigentes; aliam discretamque Lucina. His discreti totidem et congruentes inter se et in susceptum scholae ministerium, Flamines praesint, exerceantque et doceant; alter chirurgiam, alter medicinam, artemque obstetriciam alter.

Experientiae signa secuti, rationis quae sunt, non, spero, videbimur, respuere; quin et rationales imprimis vel et soli habendi sint, qui ratione naviter quidem sed subsequa et

inserviente uti norint, sine qua observationi et experientiae nulla vis est.

Multi sane eadem mecum experientiae signa ob invidiam nominis: empirici, sequi reformidabunt, quo, ut atro quodam carbone notare nos, ingenio indulgentes stolidè arguti non sinent; quanquam ipsimet opere, ut sincerus quisque medicus, experientiam profiteantur, dum verbo duntaxat confiteri recusant. Nos vero harum partium superbi experientiae securae modestam rationem submittimus, quo sane ab ingenio nos et a recta ratione minus abfuerimus, quam illi a vero.

Chirurgia, medicinae soror natu major, pannis laceris et toties explosis non ita obsita, firmiore hactenus talo perstitit, indies major et intra puras manus venustior; ejus exemplum sororis alterae et minoris procacem licentiam onerat.

Procul identidem a schola nostra vocabulorum nova et barbara, et orandi'genus latum et sonans, jam denuo celebre, quanquam anceps et obscurum; non dixerim, an ad sapientiam, an ad fatuitatem magis pertineant? nam non intelligo; eruntque, falso pudore non acti, qui mecum confiteantur, non intelligere; quin etiam credas, ipsos authores metuere, ut intelligantur; magnificumque velum inanibus obtendi; nam legentes docti et indocti, de relatorum sensu discrepant. Intelligi si possent, fucum forsan redolitura sint, praeter eundem silentio.

Igitur sit nobis genus dicendi planum et communiter receptum, quod in sua vernacula convertere gallus, angulus, latius aliique possint. Recentium et antiquorum multi et praecellentes, pura et facili dictione usi, rem medicam apprimere exornare et auxerunt; cur eadem nobis, si proferendi digna habuerimus, non sufficiat? rerum sane difficultate satis premimur, an obscuris et ancipitibus verborum facetiis ultro impediri nos, non tergiversemur?

De doctrina scholae nostrae, quae generatim jam annotavimus in singulas fere, ejus partes referenda esse opinarer. De cognitione structurae hominis et partium, harumque quae vis et facultates sint? prior nobis mentio sit; quippe his media insunt, docentis naturae verba percipiendi et intelligendi; his, dum silentio, secreta sua celare videtur, interpellare illam, et ut revelet, adigere experiundo discimus. Primos in anatomen gradus vix sine ductu magistri tiro fecerit; hic veluti incognitas terras aperit, tiro intentus sequitur, ipsemetque cultello assuescens investigat, sibi quae alias post alias partes detegit, et sensim omnes perscrutatur, a grandioribus ad subtilia progressus. Percipiuntur a dissecantibus, quae postea reddi verbis, aut alio modo non queant; horum assiduo usu dexteritas manuum, in alios etiam medentium usus profutura, invalescit. In hoc vero anatomes studium magis commendare se videtur, quod iudicii vim firmam, et a lusibus ingenii lascivientis securam fere praestet; nam conjecturalibus non ducitur, quo quis penitus naturam sensibus rimatus est: anatomicarum rerum ignaros praepriis videmus opinionum commenta captare, sicque pro junone

nubem amplecti nimium proclives in grandiorum partium per-
scrutatione tiro praeprimis nervos suos omnes intendat; ha-
rum ut luculentior ratio est, et obvia semper utilitas; subti-
libus, quanquam inutilia dici non possint, exornamur magis
et delectamur; ast speculatio in procinctu est.

In animalium comparata corpora digredi, tironi, stu-
diorum suorum fundamenta agenti, vix expedit; quo pro-
latari scientiae campus ab eruditis potius, quam impediri
discendi novus debeat. His si magnificae scholae, si litera-
torum splendidae societates in augmentum scientiae indul-
serint, laetemur; oportet discipulos omnem curam in
ponendis scientiae rudimentis insumere.

Cognita corporis humani structura in cognitionem vitae
et functionum proclivi via ferimur. In his praeprimis aeta-
tem et omne studium viri multi et acerrimi ingenii con-
sumpserunt; ast an initiis emersisse, asseverare quis auserit?
Opinionum et commentorum, si obsaturari quis amet, im-
mensa prostant; perennium et veri curta supellex; meliora
et hic, quae sensibus accipiuntur; ingeniorum latum et
lascivum exercitium; urgent incassum intima naturae pen-
tralia. Vident et abstinere intelligunt perspicaciores; eru-
ditorum conatus placent; tentari, non aversemur. Nos,
quae fiant, scire praeprimis intenti simus, de modo et cau-
sarum ratione castum esto modestumque iudicium; id si
exercere non veriti fuerimus, saltem velut descisa proclamare,
vercamur; nam hactenus fere fefellit, quod nimium ex imis
et e sublimi petatum fuit.

Corporum naturalium cognitionibus communibus jam ante modo imbuti (nam insalutata physica in sacra Aesculapii ingredi nulli permissum sit), jam et propria, et constituentibus eorum partes, et rationem qua reciprocas inter se actiones patiuntur, et in corpora aliã exercent, tirones perscrutentur. Ideo duce magistro chimiae, corporum naturalium quorumvis nexus solvere, solutas partes singulas spectare, nexum pristinum restituere, connubia alia cum aliis facere, quaeque inde eveniunt, recognoscere, labor sit: ne hac ex parte medicarum cognitionum series hiet, nunquam non validior, quo plenior; chimia et multa supeditat, quae referri in functiones vivi hominis, hisque lucem afferre possint; caveat tamen nostra schola a secta illa, quae dum chemicarum de his rationum quid repperit, repperisse totam credit, anteriorum temporum recidivis nihildum sapientior.

In morborum porro catervas convertamur: horum schola rationem, ut genere et speciebus diversi sunt, omissis divisionum subtilibus, discipulis exhibeat; compositis consimilibus, vel prout affines sunt, corporis loco, forma, habitu, gradu, vel et curandi modis; ita captui novorum memoriaeque subvenimus; sic morbos, quos natura promiscuos offert, arte jungimus et in ordinem dispositos pertractamus; nec multum refert, si in definiendis severe morbis non tam anhelemus, (definitione enim quis febrim, quis inflammationem, quis obvios alios multos morbos, omnibus quantumvis cognitos, exegerit, donec vitae impetum faciens et nutritionis, internae causae latent?) si morbi quid omissum

fuerit, opusque, velut humanum omne, omnino plenum non prostet. Cognitis ordinibus, specierum, momenti minoris, spatia usu adimplentur. Omnis morborum catalogus, quanquam diffusos latissimosque dederint, hiulus est; neque vocabulorum sola memoria sapimus; si significatus verbo morbus intactos sensus praeteririt, inanis labor est.

In remediorum, quibus medemur, supellectilem versi, non tam numero, quam delectui studeamus. His si copiam, quam insumunt, spectemus, crederes omnem morbum ipsamque mortem profligari posse. Inertibus mista sunt efficacia, certiora dubiis, utilibus supervacua, quin et a truculentis liberi non sumus, ut animus iste nimium elatus subsideat. Ecquis meliora imposterum promittere auserit? nam dispersa medentium experientia, morborum, eosque accipiendi, indies nova et diversa ratio, et mobile hominum ingenium impedimento sunt. Schola nostra remediis paucis assuescat; nam et dimicantes arma juvant, quibus maxime assueti sunt.

Copia medicamentorum, quin et apud invites gliscit, medentium inconstantia, et novi libidine; quodque non satis datum sit: sanitatem, morbos et horum accidentia, in veras causas suas referre, tribuantque faustam in partem vel et in sinistram remediis, tribuenda aliis diversisque. Facilius et tutius iudicant, pauca tractantes.

In his scholis magistrorum ductu tirones adolescant; in his ductu supremae naturae magistri in artis summa ascendant; horum verba ut bona quidem accipi possunt,

optimum vero, quod impertiantur, in exemplis est; id in sensum habitus et experientiae, utrumque usu et exercitatione adolescat; sic scholis discipuli, utili et vero probe enutriti emergunt, post ipsinet magistri.

In discipulos scholae, totius medicinae exercitium conferre intentis, professorum, scientia et dexteritate praevalentium et proborum delectus convenit; sit suus cuique: chirurgiae, medicinae et arti obstetriciae, discretusque magister; collecti et concordēs scholam constituent, adjunctis in subsidia et supplementum coeterarum partium professoribus.

Laboris honorificum pretium magistris, donec superstitēs fuerint, annum, ex publico aerario redeat.

Discipuli omnes quotannis medicinae partes emetiti, triennio, si visum fuerit, scholas finiant, dato aditu in examina, lege constituta; quo approbati medici, fide publica digni pronuntiantur, muniisque imponi possint, qui exercitii medici omnes vices in se suscipere, sibi que vitam benefaciendo laetam, salutiferam parare aliis queant. Sane non inficiabitur quispiam majores semper et medicos, obstetricantes chirurgosque futuros esse, quo hi singulis imbuti, universam medicinam consociatam magis percoluerint; cujus membra, divisa quamvis abs suo toto spectentur, ad unum tamen corpus pertinent, quod non nisi integrum valet, divisum languet et mancum deprehenditur.

Verum tantarum tamque diversarum rerum, an copiam ingenia et manus assequuntur?

Si ingenui, sagaces et literis a teneris annis imbuti scholis admissi fuerint, si densa in scholis disciplina, si verbis non solum sed et usu exercitati, si callidi, assiduique didicerint; quinimo? prodituri sunt, quos desideramus, medici, re literaria si non consummati, in commoda tamen et in aegrorum solatia acceptabiles et prompti, quantumque emeritis datur, praestantes.

A pleno coeterum et perfecto omnes distamus; alii genio, alii occasione distant, alii solertia, ignaviae; distant et ii, qui singulam quandam partem excolendam sibi assumpserunt; ideoque, credas distare magis debere; cumque ipsa scientia inchoata tantum apparere possit, gratulemur minus distantibus; a perfecto omnes absumus.

Ego sane bonis modo medicis appono, qui non nocere, et naturae faustos conatus non interturbare didicerunt; melioribus: qui illis dum subveniendum est, subvenire; optimis: qui naturam fatiscentem erigere, reducere deviam, eoque sincerum arti triumphum, quem quidem capere cuncti non cessant, efficacia artis parare intellexerint; gloria non differente, sive medicamentis, sive armata manu praestita res fuerit; nam eadem salus est.

Turgidis itaque non ita velis procedentes, metam certius assequi liceret cum laeta spe, fore ut tandem disponi in distantes pagos medici possent, prompti in febrium et sauciatorum levamina, prompti demum in partus quosunque casus; quo publicae curae paganus, qua, sui impos, is

magis indiget, particeps fieri; et artis pravae obvia eheu! saevities reprimi posset.

Discipulorum, quo opus est, numerum allicere in scholas, sane difficile non sit; inest modo arti salutiferae proprium quoddam et insigne decus, quo duci ingenuus et humanus possit; alia etiam media suppetunt, quibus trahi frequens, juventa posset, de quibus sapientes rerum publicarum moderatores supervacaneum fere sit, monere.

Attamen studiorum pretia quibus sublatis studia ipsa perire scitur, praeterire non licet, quae in dimissos scholae et medicorum muniis jam praepositos derivanda sunt: sit immunitas ab oneribus publicis, onera afflictarum valetudinum in se suscipientibus; eximantur numero militum conscriptorum, quod pace reddita concessum sit, ingenii cultu et facultatibus commendabiles in scholas assumendi, studiorum proprios sumptus facturi; sint annui reditus, quibus constitutis medicis in necessaria quidem vitae provideatur, prospera tamen amoenaque, artis diligenti exercitio comparanda supersint.

Suum tamen in quodvis commune medicum disponere, gravitas erogandorum sumptuum vetabit, quanquam sint, quae proprium sola et discreta sustentare queant; si secus; jungantur bina terna quaternave, prout locorum facultatum et viciniae ratio tulerit. Alii junctis inter se communibus studiorum in tirones dispendia eroganda esse existumabunt.

Nec gravabuntur collecti, in rem domesticam illius singuli conferre, cui afflictae sanitatis publica et privatorum cura gerenda est; nunc prava et truculenta ignarorum opera, sincerâ deficiente, compesci nequit. Si sinceram afflicti velint, e longinquo petita, saepe serovenit; miserosque abnormi sumptu premit; huic parcerent, securiores presentia sinceri medici, quem fortassis illo, qui jam in erudiendas obstetrices vertitur, sumptu instituere, dari posset.

Quod ut aliquo modo appereat, ponamus obiter calculum: in obstetricem schola erudiendam sumptus jam sexcenorum fere francorum a quovis communi expendendi sunt.

Si suam omnis pagus provinciae v. g. montis Ceraunii, sibi que soli destinata velit, sexcentiis illis octogies et quod excedit, opus est, nam communorum is numerus.

Jam si summâ istâ (411,600 fr.) obstetrices quidem redemptae sint, quae partum naturalem utcunque curare possint, manet tamen augusta res, defectu obstetricorum in praeternaturales partus semper necessariorum; cui postea emendata quidem aliquantisper obstetricum re, mederi non ita facile futurum sit; cum id emolumentum, quod ex singulo partu redire in sinceræ artis exercitium posset, in inermes obstetricum manus diffluat.

Ex summa, quam diximus, quincunx foenus factum, et in annua medicorum honoraria dispertitum, sexaginta fere et novum obstetricatores (300 fr.) remunerari possent et

vicibus medicorum externorum, internorum simulque obstetricantium quibuscunque perfungi.

Si rebus ita institutis superfuturi sint, qui mulieres, moris vetustate vel ob falsam pudicitiam in subsidia partus desiderare perseverent; etiam non obfuero: conducant sibi constituti medici foeminas, scholarum licet expertes, in nutum et ministerium instituti medici obedientes, modestia et morum candore commendabiles; hae parturientibus, donec obsequio et expectatione tantum opus est, assideant, remissa tamen in fidem et conscientiam constituti medici partuum quorumcunque securitate, et artis fortioris, natura labascente, exercitio.

His, si nimia spe abreptus, in aliena, quae medicorum non esse, existumare quis possit, divagari visus fuero, non malam in partem Ill. PRAESES, honorandissimi socii accipite! mihi in re, momenti gravioris, tentasse sufficiat, melioraque, si non tradidisse, saltem ostendisse.





1-11 1912

